

Johann Ernst Gerhard Johann Schleimer

Dissertatio Academica de Conficto Pontificiorum Septenario Sacramentorum Numero

lenae: Bauhofferus, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786504145>

Druck Freier  Zugang



A-D d. 06 526, 6.

A-K

267

A-H

A-F

A-C

207

A-E

A-B

A

347

A-D

A-B

A-D

A-G

A-F

A-E

A-D

A-C

A-F

A-F

A-G

A-V

A-C

A-H

A-D

A-C

A-C

A-B

A-B

A-E

387

A-F

A-D

327

A-F

A-C

A-B

A-C

A-C

A-D

A

A

A

A

A

A

A

A


A

52

Fa-1092 (52.)

DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.
Tomo hoc. **XCVII.** comprehensives.

Scrutinium Scripturae Sacrae. Pr. D. P. B. 1.	De Triplici Officio Christi. Praef. 25.
Conformitas Iudaeo-Papistica in locis de Scriptura Sacra. Pr. D. N. Gejero. 2.	D. Michael N. Dehmio. 26.
de Analogia Fidei. Pr. D. T. Calovio. 3.	De Problemate Theologico, de Tribu- culus Filii de Ascensione Christi in Coelas quicquam deroget verae Corporis et Sanguinis Eius. Prae- sentia in S. Coena. Praef. D. 4.
de Interpretatione Scripturae S. P. Mylio 5.	Sententia in S. Coena. Praef. D. 5.
de SS. Scripturae Auctoritate, Perfectione ac Perspicuitate. Pr. N. El. C. 6.	De Poenitentia Pestiferarum Nivivi- tica ad Ion. c. 3. comm. 2. s. Praef. 27.
de Hermeneutica vera et falsa. ad 2. Pet. 1. v. 20. 21. Praef. D. D. Debelio. 7.	Joh. Fridenico Mayero. Licent. 28.
de Cognitione Dei definitiva, an debeat Pr. N. Joh. Wemmanno. 8.	De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. And. Quenstedt. 29.
de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. Sebast. Niemann. 9.	De Numo Confessionario Rom. Pr. D. 29.
de Personarum divinarum distinctione, an et quanam illa sit. Praef. Eodem 10.	planning. Comment. Nath. D. P. Müller. De Satisfactionibus propriis pro peccatis temporalibus. Nemi sit culpa in hac vita. Pr. D. Joh. Dehmio. 30.
de Actione Dei prima in tempore, quae dicitur Creatio. Pr. N. Joh. Wemmanno. 11.	De Regula huius Naturae. Pr. D. Debelio. 31.
de Permissione divina circa peccata. Pr. D. Christiano Chemnitio. 12.	De Confecto Pontificiorum Septe- nario Sacramentorum numero. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 32.
de Apparitionibus Daemonum. Pr. D. Joh. Meisnero. 13.	De Baptismo. Pr. N. Lev. Pouchenio. 33.
de Natura et Quidditate Luminis Glo- riae. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 14.	Quaest. Cas. Cum Hostemys quid agendum in SS. Synaxi. Tit. 34.
de Peccato Veniali. Praef. Eodem. 15.	Analysi quaest. 1. Cor. 10. Praef. 35.
de Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. N. Joh. Wemmanno. 16.	D. Joh. Dehmio. 36.
de Phrasi Scripturae, qua Deus dicitur Indurata, Excoecare. Ac. Pr. D. S. Schmidt. 17.	De Fide in Mesiam Patriarchali. ex Genes. 29. p. 18. Pr. D. S. Schmidt. 37.
de Vinibus Liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemann. 18.	De Donis Operibus. Pr. N. Niemann. 38.
de Actione Dei prima ab aeterno, qua dicitur Praedestinatio. Pr. N. Wemmanno. 19.	De Donis Operum Necessitate. 39.
de Phrasi Scripturae, Deletionis à libro Vita. Praef. D. Sebast. Schmidt. 20.	De Clavis Ligantis. Pr. D. Damhauer. 40.
de Poemina Circumstante Virum, tan- quam novo, quod creat Dominus. ex Verem. 31. p. 22. Pr. Habichhordio. 21.	De Clavis nova p. 17. 7c. nova 5. 10. 41.
de Aphorismo Joh. 1. 14. Verbum Caro factum est. Pr. N. Joh. Wemmanno. 22.	Purgatorium exustum à Papistas. 42.
de Aphorismorum Theologia. De In- caratione Filii Dei Domini N. 1. C. Praef. Eodem. 23.	Pr. D. Joh. Adamo Scherlero. 43.
de Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. 16. Deus manifestatus est in carne. 24.	De Reliquis Christi et Sanctorum Carum cultu. Pr. D. S. Niemann. 44.
de Parallelismo Calvinae Nestorianus. Praef. Johanne Adalmo Scherlero. 25.	De Resurrectione Mortuorum. 45.
Collecta à M. Antonio Ulrico Comp. Tubinga. Anno. 1680 d. 14. Junij.	Pr. N. Lev. Pouchenio. 46.
	De Resurrectione Impiorum. Pr. 47.
	D. Johanne Meisnero. 48.
	Contra Empedocles Promissionis Adventus Christi Ultimi. Pr. D. Wemmanno. 49.
	De Gemitu Creaturae intelligentis. 50.
	Pr. D. I. Christophoro Ottone. 51.
	De Appellatione ad superiorem Iu- dicium Iesum Christum. P. I. E. Gerhardo. 52.
	Praef. D. Sebastiano Schmittio. 53.
	Hopffew. Augustano. 54.



In Nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis!
DISSERTATIO ACADEMICA

de

CONFICTO PONTI-
FICIORUM SEPTENARIO
SACRAMENTORUM
NUMERO,

Quam

In inclyta Academia Jenensi,
PRÆSIDE

Viro Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNES ERNESTO

GERHARDO, S.S. Theol. D. & P.P. Famigeratissimo,
Domino Præceptore, Fautore ac Promotore suo ætatem
plurimum devenerando,

Ad diem 3. Aprilis

Horis antemeridianis

In Auditorio Majori Theologorum

publica disquisitioni subjicit

Autor & Respondens

IOHANNES SCHLEIMERUS,

Neozolio-Hungarus.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS JACOBI BAUHOFFERI Anno 1666.



In Nomine Jesu!

Fꝫ quo nimium quantum Pontificii septenario, quem sibi constituunt, Sacramentorum numero tribuunt, ita ut in Concilio Tridentino, quod Oecumenicum fuisse, vanè glorianur, anathema omnibus illis dicere, qui dixerint, *Sacramenta nova legi non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quàm septem, videl. Baptismum Confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinis, & Matrimonium, aut aliquod etiam horum septè non esse verè & propriè Sacramentum*, non dubitarint: rem à studiis meis haut alienam facturum me puto, ubi materiam hanc de septenario Sacramentorum numero, quem Papistæ nobis obtrudere latagunt, tum v. de Sacramentis veteris, paucis pagellis comprehensâ, adeoque delineatam potius quàm elaboratam, publicæ disquisitioni submisero. Christus, qui est veritas & via, ducat me in viam rectam. Amen.

J. G. G.



Rhodoxi unanimi consensu dicunt, docentque, quod, quemadmodum in V. T. duo tantum fuerunt Sacramenta, Circumcisio & Agnus Paschalis: ita quod in N. T. duo tantum fuerint à Domino nostro Jesu Christo instituta ac confirmata Sacramenta. Atquè hanc sententiam nos quoque sequimur. Monemus autem statim,
 A quòd

37
 37
 4
 4
 4

quòd vocem Sacramenti non sumamus in latiori seu in impropria; sed in strictiori ac propria significatione; constat enim, quòd *Sacramenti* vox latissimè quandoque pateat; aliquando verò propriè quidem, sed in significatione latiori; aliquando autem propriè, seu ut alii loquuntur, propriissime & strictè accipiatur: uti in *ex Jeros* pluribus ostendetur. Et ita in A. C. Apolog. vox *Sacramenti* sumitur, quando ipsa monet, quod *ista Ceremonia à DEO instituta, & in Scriptura Sacra usitata, nec augeri, nec minui debeant.* Addit quoque rationem; *solius enim DEI est, non tantum Testamenta, sed & Sacramenta instituire, tanquam ritus, qui habent mandatum cum addita promissione gratia.* ac concludit: *Nam non est autoritatis humana, promittere gratiam tanquam signum. E. nec Sacramenta instituire: Quia signa sine mandato DEI instituta, non sunt certa signa gratia.*

ex Jeros

Diximus modò, quòd vox *Sacramenti* valdè sit ambigua, & diversas admittat significationes. Apud Priscos quidem Linguae Latinae Autores dicitur Sacramentum (1) *iusjurandum*, quod invocato Numine fieri solebat. (2) *pecunia*, à duobus rixantibus apud Judicem *deposita*, cum hac conditione, ut innocenti parti depositum restitueretur, sed victi arario cederet. Vide Varr. lib. 4. de LL. p. 29. Huc alludit Cicero, quando *Sacramento contendere* ait lib. 1. de orat. Verùm apud Scriptores Ecclesiasticos longè in alia significatione vox *Sacramenti* adhibetur. Et quidem (1) *γινώσκω* seu in significatione admodùm latâ, *Sacramentum* dicitur *quodlibet mysterium divinum*. Deinde (2) *εἰδικός* s. paulò specialius, pro *quovis rei Sacra signo*, etiam illo, quod habet gratiae promissionem. (3) *εἰδωλότης* s. strictissimè ac propriissime dicitur Sacramentum *Ceremonia*, sive *actio Sacra divinitus instituta, in quâ per elementum externum, materiale*

teriale, proprium ac divinitus ordinatum, applicatur & obfirmatur verâ fide utentibus promissio Evangelii propria. Atque in hac tertia significatione vocem sacramenti accipimus, quando duo saltim N. T. Sacramenta, propriè scil. ac strictè ita dicta, dari adferimus. Unde patet, quòd minimè nobis adferetur Apol. A. C. Quando in explic. tertii decimi Articuli hæc habet: *Verè igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quod est Sacramentum Pœnitentia.* Licet enim Apolog. absolutionem *verè Sacramentum* esse dicat, accipit tamen vocem *Sacramenti* non in significatione strictissimâ ac propriissimâ, quæ apud nos tertia est; sed in significatione propria quidem, sed non strictissima seu tali, quâ Baptismus & Cœna Dominica *Sacramenta* sunt & dicuntur: verùm in significatione latiori, quæ secundam nobis constituit classem. Patet hoc ex ipsius Apologiæ verbis, quæ paulo antè leguntur, hæc nempe: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum DEI, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta.*

avliæois

§. I. Notandum autem, quòd numeri illius Sacramentorum septenarii primus inventor fuerit Petrus Lombardus Magister Sententiarum, quem hætenus Papicolæ ceu oves arietem religiosè sequuntur. Quemadmodum & Papa Pius IV. in bulla super formam juramenti professionis fidei ita suos, hoc est, quotquot socii Pontificiæ haberi Ecclesiæ cupiunt, profiteri iussit: *Profiteor septem esse vere ac propriè Sacramenta nova legis, à Christo Domino nostro instituta, atq. ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria.* Argumenta verò Papicolæ pro septenario numero fere hæcce generaliora proferunt: (1) *Septem sunt morbi Spirituales: E. septem quoq. erunt remedia spiritualia. Item si septem sunt*

A 2

car.

32
cardinales virtutes, septem quoque erunt Sacramenta, eas confir-
mantia. Atqui prius est. E. (2) Si septenarius numerus tanquam
numerus sacer, saepe in Scriptura & mysteriis occurrit, sequitur
quod septem quoque dentur Sacramenta. Atqui. E. Minorem
probant: septem memorantur sigilla, Apoc. 5. v. 1. Septem tuba.
Apoc. 5. 1. Septem stella & septem candelabra, Apocal. 1. v. 12.
& 16. septem panes, Matt. 15. v. 34. (3) In ecclesia septem sunt or-
dines principales, datur enim (1) ordo intrantium (2) pugnan-
tium. (3) vires in ecclesia resamentium. (4) per poenitentiam re-
urgentium (5) cum extrema unctione exeuntium (6) ministran-
tium, quo pertinet ordo sacerdotum, (7) novos milites per ma-
trimonium introducendum. E. (4) Patres prater Baptismum &
Cenam Domini alias quoque res sacramenta appellarunt, sequi-
tur igitur, septem esse sacramenta.

§. 2. Priusquam ad adducta Pontificiorum argumenta respō-
deamus, quadam pro confirmatione sententiae nostrae, quod
duo tantum sint N. T. Sacramenta, praemittimus. (1) Si Con-
firmationi, Poenitentiae, extremae unctioni, Ordini & Matrimo-
nio, non competit essentia Baptismi & Eucharistiae proxime
communis, sequitur, quod illa ipsa in eo significato Sa-
cramenta non sint. Atqui. E. Maj. probatur, quia illud comu-
ne, in quo per se & proxime conveniunt species, est ge-
nerica specierum natura, ut docet Philosophus in metho-
do inveniendi essentialia praedicata, 2. post. analyt. c. 14. (2)
Si ex Christi latere sanguis tantum & aqua effluerunt, ad
denotandam geminorum Sacramentorum, Baptismi & Eu-
charistiae materiam, sequitur, quod reliqua illa Pontifici-
orum non sint Sacramenta, eo modo ac sensu, quo illa.
Atqui. E. Quare & Apostolus Paulus utrumque istud Sa-
cramentum conjunxit, nullo alio admixto, 1. Cor. 13. (3) si
duo ista Sacramenta nobis ad salutem sufficiunt, Bapri-
smus

smus se. & Coena Domini, quorum unū initiationis, alterum Confirmationis, sequitur, duo ista tantum esse ad salutem necessaria. Atqui verum est prius, E. Et posterius.

§ 3

His pro nostræ sententiæ confirmatione argumentis præmissis, rectâ viâ nobis incedere placet ad adversariorum Argumenta, pro septenario numero in medium adducta. Quod ergo [1] attinet, Resp. Majoris Consequentiam nullam esse, quia morbi isti & virtutes in V. T. quoq; fuerunt, nec tamen ideo septem in eo fuerunt Sacramenta. Præterea: Nullum Sacramentum debet esse utrique T. commune, id v. hic vel maximè fieret, si conficta illa Pontificiorum Sacramenta talia essent. Deinde morbi hi & hæ virtutes possunt extendi & minui, non aliter ac scopæ, ut adeò in immensum ferè numerum Sacramentorum numerus extendendus esset, si juxta vitiorum ac virtutum adornati numerum deberet. Ad (2) Resp. Hoc pacto non tantum septem, sed septuaginta Sacramenta pari ratione probari possent. Cùm septuagenarius numerus in Scripturis non rarò etiam occurrat. Vide Exodi 16. v. i. Lucæ 10. versu 1. Ad (3) Resp. Morborum in primo Argumento & ordinum jam enumeratorum, in hoc tertio, distinctiones nihil sunt aliud, quàm otiosorum hominum speculationes, quæ certè nulla possunt gignere Ecclesiæ Sacramenta. Ad (4) & Maj. ita informanda est. Si Patres præter Baptismum & Coenam Domini appellarunt Sacramentum alias res, pari omninò ratione, & præcisè septenarium Sacramentorum numerum necessarium constituerunt, sequitur, non duo tantum, sed septem esse Sacramenta. Atqui, E. Sed sic negatur minor. Patres enim vel ob reverentiam, vel ob mysterium quasdam res Sacramenta nominârunt. Vide D. Brochmandi Systema Theologi-

A 3

sum

32
37
37
4
4

cum tom. 2. Articulo de Baptismo p. 1126. 1127. ubi prolixius hæc confirmantur.

§ 4

Haut abs re erit, si, antequam ad specialem Sacramentorum, à Pontificiis nobis obtrusorum, considerationem accessum faciamus, definitionem sacramentorum, propriissimè ac specialissimè ita dictorum, qualia Baptismus ac sacra Coena, evolverimus. Sunt verò Sacramenta *actiones divinitus institute, in quibus DEUS sub visibilibus signis, seu elementis, usq; divinitus ordinatis, invisibilem gratiam, Evangelio propriam, nobis offert & obsignat.* Non ignoramus quidem, quòd autores hîc non conveniant. Occamus enim, Major & Richardus existimant, Sacramenta propriè definiri non posse. Idem & Ledesmius dicit. In eadem sententia & Bellarm. est: concedit tamen, quòd licet non Physicè, tamen Moraliter Sacramenta possint definiri. Unde & ipse varias enumerat definitiones, dicens, se eas collegisse ex Augustino lib. 10. de Civit. DEI cap. 5. rectè tamen monet, eas ipsas esse imperfectas. Hoc ipsum verò est, quod ambabus manibus acceptamus.

§ 5

Orthodoxi Doctores unanimi consensu Sacramentigenus constituunt *actionem*, recurrentes ad institutionis autorem DEUM ac Dominum nostrum J. C. qui omnia & singula instituit, expressè requirens & præscribens actionem. De Circumcisione sic monet: *circumcidetis carnem praeputii* Gen. 12. v. 11. de Agno Paschali Exodi 12. v. 3. & seqq. *Tollat unusquisq; Agnum, immolans eum, & comedat carnem eius &c.* De Baptismo ait ipse Salvator generis humani, *Jesus Christus: Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,* Matt. 28. v. 19. ac de S. Coena Matt. 26. v. 26. *accipite, comedite v. 27. & bibite.* Ex his jam sic concludimus:

Quic-

32
Quicquid dependet ab institutione, non potest esse Substantia, vel qualitas, vel quantitas; sed est vel relatio, vel actio. O. Sacramentum dependet ab institutione. E.

§ 6.

Quod attinet *causam efficientem principalem* Sacramentorum, illam extra omnem dubitationis aleam, ac extra controversiam ponimus DEUM. Cum enim omne bonum fit à DEO, tanquam autore & conservatore, & verò Sacramenta certa bonitatis divinæ pignora sint, patet, quòd eadem non nisi DEUM autorem habeant. Et sicuti nemini Angelorum aut hominum concessum est, nova Ecclesiæ media salutis præscribere, propterea quia non possunt promissionem gratiæ præstare, quæ in eis continenter: cum solus DEUS inter nos verbum reconciliationis instituerit, 2. Cor. 5. ita nec in Angelorum ac hominum potestate est, Sacramenta ordinare vel constituere. Probe id sciverunt Apostoli: unde etiam auctoritatem Sacramenti præscribendi à se removerunt, ac ad DEUM unice retulerunt, ad præfigurandam & denotandam fidelitatem ministerii sui. 1. Cor. 4. v. 1.

§ 7

Licet verò soli DEO competat, Sacramenta instituire, placuit tamen divinæ bonitati, per homines illa administrare. Et quidem ad evitandam confusionem, ac quòd omnia ordine in Ecclesia fiant, voluit, ut per certa Ecclesiæ membra Sacramenta administrarentur, nempe per Pastores, Diaconos &c. tanquam servos mysteriorum suorum, 1. Cor. 4. v. 1. Neque tamen prorsus ab hac excludimus fideles laicos: nam & illi possunt administrare *Sacramentum initiationis*; sed *extraordinariè & in casu necessitatis*. Quod licet Calviniani negent fieri posse aut debere, nos tamen nitimur Scripturæ Sacræ auctoritate & exemplis pro-

probatis, Ziphora, infirmato marito, filium suum circumcidit. Exodi. 4. Mulieres Judæorum tempore persecutionis Circumcisionem Filiis suis præstiterunt, 1. Maccab. 1. v. 6. Intelligimus verò, ut jam tum monitum, Sacramentum initiationis, à cujus administratione, si necessitas efflagitaverit, nulli excluduntur fideles, quicunque tandem fuerint, modò verba à Domino nostro J. C. instituta diligenter observent, nec quicquam, quod ad ipsam Sacramenti substantiam pertinet, immutent. Sed hoc extraordinario casu non obstante, Ministros Ecclesiæ legitime vocatos dicimus esse *causam ministerialem* seu *administram* ac *organicam* ordinariam; cum eis competat *dispensatio mysteriorum DEI*, 1. Cor. cap. 4. ver. 1.

§ 8

Quod *materiam* Sacramentorum concernit, notum est, quòd diversis Sacramentis diversæ quoque materiæ sint. Sic in Circumcisione fuit *Preputium*. In Paschate *Agnus anniculus*. In Baptismo est *aqua*. In Sacra Domini Cœna, *Panis & Vinum*. Hæc autem Sacramentorum materiæ tantum externæ sive externum elementum sunt, vel Symbolum terrenum. Cum verò juxta Augustini sententiam, dicentis: *Accedat verbum ad elementum, & fiet Sacramentum*; ad verum & proprie dictum Sacramentum non solum elementum; sed & verbum, quod tum institutionis, tum promissionis, requiratur: unde ulterius moment Theologi, quòd res Sacramentorum cœlestis sint certa institutionis verba. Observandum autem, quòd nonnulli Patres rem cœlestem vocare consueverint *rem Sacramenti*, accipientes nempe vocem *Sacramenti* pro externo tantum Symbolo; per *rem* verò intelligentes rem cœlestem, tanquam alteram partem Sacramenti. Alii contra per *Sacramentum* totam Substantiam Sacramenti

com,

comprehenderunt, per rem autem intellexerunt beneficia Christi, quæ per Sacramenta offeruntur, & credentibus applicantur. Notum est illud Augustini: *Sacramentum de mensa Domini sumitur quibusdam ad vitam; quibusdam ad exitium &c.* Tractatu 26. In Joh.

§. 9.

Calviniani fingunt hinc, consistere formam Sacramentorum in Analogia, vel nuda significatione rerum cœlestium. quam sententiam nos Lutherani meritò rejicimus. Quippe cum per analogiam illam V. T. Sacramenta à N. T. Sacramentis distingvantur. Cum Symbola N. T. non sint nuda solùm signa significativa, rerum Cœlestium vacua, sed exhibentia, v. g. Agnus Paschalis typicè Christum præfigurabat; Panis verò, quem nos frangimus, est communicatio corporis Christi, docente Apostolo 1. Corinth. 10. v. 16. Omne præterea Sacramentum habet specificam actionem, circa suum peculiare Subjectum, h. e. habet peculiarem certæ rei administrationem ac dispensationem, peculiari institutione expressam, adeòque propriam habet & peculiarem suam formam, per quam est, quod dicitur, & ab aliis omnibus distingvitur. Hæc verò consistit in actione, ad quam *δδσισ καὶ λήψις* pertinent. Offert enim aliquid DEus per Sacramentum, quod à nobis vult sumi & participari. Sic jussit DEus circumcidere & circumcidi. Gen. 17. Agnum Paschalem mactare & comedere. Exodi 4. baptizare & baptizari, Marc. 16. Matth. 28. distribuere & accipere. Luc. 22. Et hinc necessaria est ad Sacramentum dispensatio & participatio, licet modus dispensandi Ecclesiæ libertati relictus sit. Nam sicuti ad Circumcisionem nihil intererat, si vel ferro, si vel lapideo cultro ea perageretur; sic in Baptismo perinde est, si vel homo baptisandus aqua immergatur, si vel eâ aspergatur. &c.

B

§. 10.

§. 10.

Cæterum, cum quicquid DEUS ter optimus, ter maximus ac sapientissimus instituit, bonum sit, imò valde bonum: ita etiam Sacramenta sine optimo instituit. Duplex verò hic *finis* occurrit. *Primarius* respectu DEI Sacramenta instituentis, offerentis & conferentis est, ut ea signa sint divinæ voluntatis erga nos, sigilla ac pignora Divinæ gratiæ; respectu hominum verò Sacramentis utentium, ut fides per illa, exciteretur & confirmetur. *Secundarius*, ut sint tessera Ecclesiæ, per quam populus DEI ab aliis distingvatur. Ille *finis* dicitur principalis; hic *minus* principalis.

§. 11.

Calviniani sicuti Sacramenta mera & nuda signa esse affirmant; ita *media* illa ac *instrumenta* sive organa, *divinam gratiam conferentia*, esse negant. Sed perquam erroneè. Nam competit eis definitio instrumenti: sunt enim instrumenta, per quæ homines fœderi DEI inseruntur, ac in eodem confirmantur, id quod singulorum exemplo facile confirmari potest. Tribuitur insuper iisdem effectus instrumentorum applicantium proprius, ut recipi in fœdus, salvari, abluì à peccatis. Sicut igitur DEUS est causa efficiens Principalis, nos salvare, qui effectus, cupiens: ita lavacrum regenerationis sive Baptismus, est causa instrumentalis. Vide Tit. 3. v. 5. 1. Petr. 3. v. 21. Et sic quoque in cæteris Sacramentis.

§. 12.

Ulterius ordo nos trahit, ut jam breviter de Sacramentis V. T. dicamus. Erant illa duo. Ex quibus (1) *Circumcisio*, quod erat Sacramentum initiationis V. T. in quo Masculis Judaicis, die octavo præcidebatur præputium, ad incundum fœdus cum DEO, per fidem in Messiam, ex hoc
Circum-

Circumciso populo nasciturum. Gen. 17. vers. 10, Rom.
4. vers. 11.

§. 13.

Et si autē foemellæ Israeliticæ nō circumcidebantur, tamen ideo ex fœdere gratiæ non excludebantur. Promissio enim fœderis fuit generalis: *Ero DEUS tuus & DEUS seminis tui post te*, quæ data erat promiscue tam foemellis, quàm masculis, ex Abrahæ posteritate nascituris. & sic quemadmodū Abraham dicitur *Pater credentium* Rom. 4. v. 11. ita Sara dicitur *Mater fidelium*, 1. Petr. 3. 6. Quia ergo sexus foemineus, non solum natus ex circumcisis, ac per copulā conjugalem conjunctus cum virili in unam carnem; verū etiam foemellæ Israeliticæ reverenter sentiebant de Circumcisione fœderis divini, cum Circumcisis initi, fide reddebantur illius participes. Tandem ex eo fœdere non minus efficaces consolationes petebant, quàm ipsi masculi circumcisi. Vide Jud. 9. v. 18. Præterea si foemellas non habuissent pro Circūcisis, sive pro talibus, quæ fætere divino comprehensæ, tunc non licuisset eis Pascha comedere, Exod. 12. v. 48. Ob quam etiam causam peculiare leges pro puerperis, non minus pro illis, quæ filiam, quàm pro iis, quæ Filium pepererant, latas à DEo fuisse legimus. Vide Levit. 12. 16.

§. 14

Solis tamen masculis imposta Circumcisio fuit. Quæ verò ejus rei causa? Durandus lib. 4. dist. 1. quæst. 6. censet, *id factum ided, quia solus masculinus sexus sit causa traditionis peccati originalis.* cui suffragatur Richardus, dicens: *quòd corruptio natura principalius sit à Viro, quàm à Muliere.* Verūm Davidis verba aliud testantur Psal. 51. v. 5. *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Ubi non minus à Matre, quàm à

B 2

Patre

Patre peccati originalis venenum se hausisse, testatur.

§. 15.

Alii igitur docent, primam & principalem causam, quare solis Masculis imposita Circumcisio fuit, esse (1) Dei voluntatem, cujus rationes intellectus nostri tenebris non semper sunt obvia. Probabiliter statui potest, Deum parcere voluisse sexui foeminino, tanquam jam tum partu satis onerato. (2) Quod propagatio & nomen non ad Matrem, sed ad Patrem refertur. Addunt nonnulli, propter unicam Virginem Mariam, ex qua Christus erat nascendus, parcere voluisse Deum toti sexui foemineo.

§. 16.

Alterum Sacramentum V. T. fuit *Agnus Paschalis*, in quo agni immaculati ritu, divinitus per Moysen tradito, mactati atque affati manducatione, promissio de exhibendo Messia Judæis applicabatur & ob signabatur, Exodi 12. Quia verò Agnus ille Paschalis in memoriam liberationis ex Ægypto fuit institutus, & typus erat Christi, qui Pascha nostrum pro nobis immolatus est in cruce, 1. Cor. 5. v. 7. Agnus ille DEi, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29. cujus pretioso sanguine, tanquam Agni immaculati redempti sumus, 1. Petr. 1. v. 18. ideoque adveniente Christo, corpore, ceremonia hæc abrogata fuit, ac in locum ejus Coena Domini surrogata.

§. 17.

Agnus verò ille Paschalis debebat esse (1) *integer & perfectus*, nullum habens vitium; non debebat esse coccus, non scabiosus, non claudicans &c. Verba hæc Latinus Interpres vertit, *absq; macula*, ubi non intelligitur macula diversi coloris in pelle, sed vitium aliquod in corpore. (2) *Masculus*, (3) *Filius anni*, id est anniculus. LXX. Interpretes reddiderunt, *in perfecto*: scil. ætatis statu.

§. 18.

§. 18.

Debebat autem Agnus iste esse (1) *immaculatus & perfectus*: utpote quia typus Christi, qui est absque omni peccati, tum originalis tum actualis macula, Esa. 53. v. 9. 1. Petr. 2. v. 22. qui iniquitatem non fecit, nec dolus fuit inventus in ore ejus. cum ipse quoque inquit: Quis ex vobis me arguet de peccatis, Joh. 8. (2) Debebat esse *masculus*. Christus enim, cujus typus fuit, est Vir ille, quem mulier circumdedit in utero, Jer. 31. 22. quo nomine appellatur tum ratione sexus, tum ratione roboris, ut constat ex vocabulo Hebraico. (3) oportebat talem esse agnum, qui perfecta aetate gaudebat, sive *anniculus* esset: Christus enim, quem Agnus ille representabat, in perfecto aetatis flore, anno videlicet trigesimo quarto, immolatus est.

§. 19.

Sed ad ficta Potificiorum Sacramenta nos convertimus. Hic v. mordicus contra orthodoxos pugnantes illos deprehendimus, ad obtinendum, quod (1) *Conjugium sit Sacramentum*. Sed falluntur: cum conjugium prorsus pro Sacramento non possit agnosci, nedum pro Sacramento N.T. haberi. Idque ob sequentes immotas rationes: (1) Nullum Sacramentum debet utrique T. esse commune, cum quodlibet Testamentum sua habeat peculiaris sigilla & Sacramenta. Atqui conjugium utrique Testamento commune est. E. (2) Sacramenta non sunt extra Ecclesiam, cum sint Ecclesiae bona. jam vero conjugium est extra Ecclesiam E. (3) Omne Sacramentum, strictè ac propriissime sic dictum, habet elementum externum, divinitus institutum. Conjugium nec externum elementum à Christo institutum, nec annexam promissionem de gratuita peccatorum remissione habet. E. Denique (4) si Conjugium Sacramentum est, cur Pastoribus eo interdicitur, cum Sa-

5.
36
37
9
4
4



cramenta ad omnes homines pertineant in genere, cujuscunque conditionis sint, sive Cæsares, sive principes, sive Reges, sive Barones, sive Nobiles, sive Pastores.

§. 20.

Uterius Pontificii in numerum Sacramentorum N. T. referunt quoque *Ordinem*, qui nihil aliud est, quàm ordinatio Ministrorum verbi Divini. Sed nec in eo applausum merentur, idque propter has quatuor causas: (1) Quia ordo fuit quoque in V. T. Quia (2) non habet elementum externum divinitus institutum. (3) Non habet promissionem gratuita peccatorum remissionis. Quia (4) Ordo non competit toti Ecclesiæ, sive omnibus & singulis Ecclesiæ membris, quod tamen ad Sacramentū maximè requiritur.

§. 21.

Tertio & *Pœnitentiam* in classem Sacramentorum N. T. collocant, eamque pro Sacramento N. T. propriissime ita dicto (nam de his sermo est) haberi volunt. Verùm & hoc minùs rectè. Nam æquè in V. T. erat. Id quod quàm plurimis Scripturæ Sacræ locis confirmare possemus, si opus esset. Præterea non habet illa elementum externum visibile, à Christo institutum. Tandem nec confirmare, nec conferre potest fidem, quod tamen vel maximè requiritur in Sacramentis. Etenim pœnitentia habet se ad fidem, tanquam totum ad partem

§. 22.

Succedit *Confirmatio*, quæ itidem pro vero Sacramento admitti non potest. Etenim illa ipsa actio Pontificiorum, quæ isthoc illis nomine venit, planè nullum fundamentum habet in Scriptura Sacra. Est enim destituta mandato Divinæ institutionis. Jam vero, ut antea ostensum est, nullum est Sacramentum, quod non est à Christo

32
Christo institutum. — Ubi verò in Sacra Scriptura legitur,
quod puer baptisatus, progressus ad aliquam ætatem, de-
beat chrismate ungi? Ubi verò & exemplum talis unctio-
nis in divinis habetur literis? Tacente g. S. Sacra & nota-
cemus, adeoque confirmationem, ceu Pontificiorum
figmentum, rejicimus.

§. 23.

Ultimò tandem loco Pontificiis & *Extremam Unctio-
nem* inter Sacramenta referre arridet. Sed hoc quoque
perperam. Perinde enim cum ea se res habet ac cum
confirmatione. Eo nãque modo extrema unctio, quo à Pon-
tificiis usurpatur, nullibi in S. Sacra reperitur, nulloque
adeò fundamento Scripturæ S. fulcitur ac confirmatur.
Neque enim à Christo & Apostolis instituta & usitata legi-
tur eum in finem, in quem à Paſtoris adhibetur. Apo-
stoli quidem ægrotos ungebant oleo, sed eum in finem,
ut infirmi convalerent, idque extraordinariè faciebant.
eratque donum sanationis hujusmodi miraculosæ primi-
tivæ Ecclesiæ proprium. Pontifici verò ungere eum in
modum solent, non ut ægrotus convaleſcat, sed quo feli-
cius ex hac vita ad aliam transeat.

§. 24.

Cæterum quod *fidem* attinet, eam quidem non ad
integritatem Sacramenti, quo ad substantiam suam spe-
ctari, attamen ad salutarem ejus usum requirimus. Fides
igitur ex mandato & ordinatione DEi necessaria est ad
usum Sacramentũ, sive ut Sacramentũ salutare sit: ut ut Sacra-
menti substantiam non ingrediatur, cum Sacramentũ
integritas pendeat ab institutione divina. & ob eam rati-
onem sibi constare potest, sive quis credat, sive non.
Hominum enim incredulitas non potest irritam reddere
fidẽ DEi, Rom. 3. v. 3. Unde Apostolus dicit: Siquis eo
indignè

indignè utitur, sibi ad condemnationem participare: Quicquid ergò dignè, vel indignè, ad vitam, vel ad iudicium usurpari potest, ad illius substantiam & integritatem, fides non perinde requiritur, ceterum ad salutarem illius usum.

§. 25.

Pontificii denique ad integritatem & efficaciam Sacramenti, *intentione ministri conscientis Sacramentum* requirunt, inque secus sentientes anathematis quoque fulmen Concilium vibrat Tridentinum. Nos utut non negemus, quod Minister Ecclesie debeat omnes actus formales, ad substantiam Sacramenti pertinentes, secundum cuiusvis divinam institutionem observare, eosque ritè ac solenniter administrare, ut & integritas Sacramentorum sibi constet, & actus Sacramentales à ludicris, privatis & communibus actionibus discernantur: Optamus etiam, ut ea omnia piâ ac devota mente peragat, memor, quòd aliquando gravissimam administrationis suæ rationem reddere teneatur. Verùm quòd hæc personalis & interior ministri pietas, ac devota administrationis existimatio, ad integritatem & efficaciam Sacramentorum adeò necessaria sit, ut sine illâ integra & efficacia esse nequeant, id verò est, quod negamus. Sequeretur enim inde, ut alia absurda, quæ sententia illa involvit, jam taceamus, salutem hominis pendere ab arbitrio Ministri.

Sed pauxilla hæc jam sufficiant.

S. D. G.

Eximio atq; Praestantissimo
DN. JOH. SCHLEIMERO,

**SS. Theol. Cultori in defesso
Cathedram Theologicam**

conscendenti,

ac de fictis Pontificiorum Sacramentis

publicè disputaturo

FELICITER!

Dum, SCHLEIMERE, doces, quæ sint Mysteria ficta,
Haut fictum monstras ingenii specimen.

benevolentia testanda scribebam

Joh. Ernestus Gerhardus, SS. Th. D. & PP.

De Sacramentis docto cum differis ore,
Sic Sacramentum cordi, opto, tuo *Mare Sanctum!*

Faucula hac

Sacramentum

anagram.

Mare Sanctum.

Pereximio & Doctissimo Dn. Respondenti,

Conterraneo suo amicissimo

festinans scribebas

**JOH. GODOFREDUS von Hellenbach/
NOB. HUNG.**

IENA jubeat sacros Musis ascendere montes,
Et superaturis amplissima præmia spondet.

Tu luperas montes: A montibus ergo brabea
Expecta; hoc veluti præsens tibi patria spondet.

Sic solidioris literaturæ & excellentis Doctrinae sectatori versatissimo, Dn. Johanni Schleimero, Neosolio Montan. Hung. SS. Th. & Ph. Cult. indefesso; Fautori, Conterraneo ac Amico sincere dilecto gratulabundus assurgere voluit

**JOHANN. CHRISTOPH. MELLINUS,
Cremnitz. Metropol. Montan. Hung.
LL. Stud.**

Semper brabejon situlerit labor non crescit Albanis in Herbis,
 Nascete nisi plurima conferet. Herculeo studio paratur.
 aut tanta si porro camenis Schleimere, sic cum nunc quoque
 Dogmata cū studio sacrabis. (fervidus,
 Et doctiorem Patria sentiet, Scrutare Sacramētā bono omine
 Fœcunda vitis nec sterilis fiet, Dignam corollam, cum marinō
 Caliginem ex Sacris repelles Rore dabunt mage Dī Paterni.
 Romulidum rude pectus, or cō. Fac literarum Cultor & explica
 Nam quæ tropheō quarritur al- quod sumptuosā gratior Hostiā
 (gidē Mollibus aversum popellum
 Corona, quercus inter & ilices Atq; animos Sapiente Lingūā!

ii a

Per-Eximio suo

Syn-politano

ad Eyrā Sicilianam


Lib. III. od. XXII.


negotii


TIMOTHEUS HILARIUS BINER.


SOMMER.

Ob gleich zu dieser zeit der Nord bey Uns regiert;
 Ob Flora auch zugleich in keiner Bluhme pranget;
 Ob gleich kein grünes Blath an Unfern Weiden hanget;
 Ob gleich das Wiesen Vögel sich ihc nicht präsentirt/
 Auch nicht die Apffel Frucht den kahlen Baum beziert:
 So ist doch aller Weg die Pallas angelanget/
 Mit Ihrer zarten Frucht/wornach man sehr verlanget/
 Das man Sie breche ab mit sonder Hers-begierd.
 Wolan/ Herr SCHNEEMEN/ Ihr / Ihr habt Sie überkommen/
 Und nun das andere mahl mit nutzen abgenommen;
 Ist Euch dann Musa so getreu gestanden bey;
 Ey wol! fahrt ferner fort/ es wird Euch noch gelingen /
 Der lohn wird Euren Ruhm gar weit und breit erschwingen
 Und in den Vaterland ein Stelle machen frey.
 Dieses wenige setze seinen geehrten Freund hinzu
 Philipp Andreas Ellrodt / A. L. S.









II.

in ungue adamantino descripta est: altera ve-
 s arte phrygiomica paratis. Horum delectabi-
 lissimo & aeterno robore constat. Calculum
 silicem Davidi tribuit, hostibus picturam tex-
 gat Davidis gloriam quidem suam nullo un-
 efactandam: At verò inimicorum memoriam,
 opere exagitur, citò obliterandam esse, pro-
 que prodit *Claudius Rangolius Cresperens. Vales.*
 (m spectes) huc ineptè referuntur verba Cl.
 na; *Fundâ projicere animam inimicorum Davidis
 otim eam abicit & violenter ipsis eripit, sicut
 longè abicitur, absque ulteriori ejus curâ, Me-
 i, armis nimirum Davidis desumpta, que Abigail
 ntrâ ligare secum animam Davidis in Fasciculo
 : Cum eam paternè curat, contra mortem ab ho-
 stodit, & omnimodè securam præstat, ut avellè ei a
 Sed satis de his: sequitur*

Cl. Rang-
 Còment.
 in h. l.
 * Rhetor.
 sacr.
 Tract. l. c. 7
 p. m. 134.

membrum Secundum.

ad aliorum hujus Textus paraphrasin, no-
 sententiam descendentes perpendimus, ani-
 considerandi atque explorandi nonnullorum
 undemque præcipuorum, partim Scripturæ S.
 rtim ipsi discrepantem, fabulasque sapientem

CHAK ABARBANEL, qui in Commentarii
 m, aliàs rarissimum, ab Excell. Dom. Doct. *Bux-*
 n. *Ioh. Bened. Carpzovio* Lips. Amico meo dile-
 M. DC. LVIII. M. Octob. mutuò habui) glo-
 lius è radice *Isai Berlehemitæ*, è familiâ *Domus*
Imperatoris populi Israelis oriundus, sequentia an-
 bigail ait, quod JEHOVA Davidi sit constitu-
 ב *Domum firmam, veram.* Ubi R. Abarba-
 quid per domum firmam intelligat, nempe
 , qf. dixerit Abigail: Benedicturum Dominum

R. Iizchack
 Abarbanel
 Còment.
 in Prophet.
 Priores vi-
 del. Libb.
 Ios. Iudic.
 I. & II. Sam
 nec non I.
 & II. Reg.
 Edit. Con-
 stantinopa
 in fol.

בעול in hoc seculo, & בעולה הבא in altero.

B 2

